



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

VII. De membrana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

*Cutis frontis
est mobilis.*

Qui fiat, vt cutis, quæ per se in toto corpore nostro immobilis est, in fronte potissimum mouetur, possitque tum contrahi, tum extendi, tum sursum ac deorsum adduci. Existimo namque verissimum esse id, quod initio posui; cutem nullam omnino operationem exercere, neque arbitrarij motus per se vllibi participem esse. Sed si mouetur, mouetur ex accidenti, huc illucque à subiacentibus musculis adducta. In fronte autem potissimum videtur mobilis: quoniam in reliquo corpore motus ferè omnis artuum est, & musculi ita ossibus inseruntur, vt vbique cuiuspiam ossis inflexio aut extensio aut alius motus conspiciatur. At in fronte cum cranium persisteret immobile, musculi circumiecti dum suo funguntur munere, cutem quoque secum trahunt. Sicut etiam in ventre, dum abdominis musculi mouent, cutis ipsa mouetur. Sed in fronte eo magis, quò magis est cum subiectis musculis implicata.

DE MEMBRANA.

CAPVT VII.

*Membrane
natura
&
usus.*

Rertenui cuti & spissa persimilis membrana est, & eundem propemodum habet vsum. Non solum enim cuti per vniuersum corpus subdita est, licet in quibusdam partibus, carnosius oppleta fibris, & propterea carnosa vocatur, & in collo quoque & fronte musculosa. Sed etiam quod est cutis corpori vniuerso, hoc est partibus singulis membrana. Illa velut amictus totius corporis, hæc singularum partium, tum viscerum, tum ossium, tum musculorum, venarum, arteriarum, neruorum, intestinorum. Nec minus in minoribus animalibus, sanguine tamen præditis, quam in maioribus. Propterea tunicam etiam interdum, panniculum, & telam appellant. Tantaque est eius necessitas ad omnes partes conuestiendas, fouendas, & conseruandas, vt ossa, quæ omnium robustissima sunt, suis spoliata membranis iudicio Aristotelis in 3. de animalium historia lib. cap. 13. siderentur.

Ideò densa est ac robusta, vt atcere iniurias possit membrorumque salutem tueri, & continere illa, ne dissipentur, aut quatiantur immodicè. Lenis est, vt mitis & suavis sit contactus, molliorum præsertim membrorum. Est tenuis, vt leuis sit nec nimium ponderis adferat; vt est in 3. de partibus ca. 11. aut singulis membris, præsertim mollioribus; aut omnes simul toti corpori; eum tantus sit earum numerus. Eandem ob causam carne vacat & syncera planè est; vel sicubi pinguedinem habeat, vt in amento, tenuior multò est. Sic enim compensauit natura; prouiditque ne grauaret. Tameñ membrana illa non vni alicui particule, sed intestinis omnibus incumbens paulò gnauior esse poterat. Nam & peritonæum paulò crassius cæteris esse videtur.

*Ventriculi &
intestinorum
&c. Sub-
stantiam
membranam
non esse.*

Ventriculi autem, intestinorum, vteri, vesicæ vtriufque venarum & arteriarum substantiam est tunicas aliqui appellent interdum; improprie ra-

Amen & minus verè appellant. Nam diuersam planè harum partium substantiam esse, tria ostendunt. Primum, quòd membranas omnes & tunicas ad partem aliquam aut membrum conuestiendum & continendum, aut certè distinguendum natura instituit: quæ autem commemorata sunt, non hunc, sed alium longè diuersum habent vsum. Alterum, quòd illa ipsa omnia membranis conteguntur; propriæque constant substantia à membranis illis diuersa. Tertium, quòd illa villis intexta sunt longis, latis, obliquis; quibus trahunt, retinent; expellunt. Membranæ vt has non habent operationes, sed alium omnino vsum, sic nullis cõtentur, sed sui vbique simili substantia constant.

*Præcipua
membrana
qua.*

Duas Aristoteles præcipuas & maximas commemorauit: tum duas illas, quæ cerebrum continent; tum eam, quæ cor: quòd duobus hiscè membris præcipuis tutela maximè adhibenda fuit. Sed miror prætermisum fuisse peritonæum, quòd & amplissimum est, & plurimarum aliarum membranarum principium; atque intestina & ventrem continet in ea corporis parte, quæ cum ossa non sit, vt caput & thorax; sed tota carnea, lædi facilius poterat. Sunt etiam in thorace insignes & perampla illa, succingens costas, & dissepiens duas; de quibus seorsim suo loco dicitur. In capite autem pericranæum; est caluarium extrinsecus ambiat. Hæc omnes, vt sunt præcipuæ & in primis magnæ & conspicuæ; ita propium obtinent nomen. Sicut & illa, quæ in oculo continentur: quòd etiam magnæ non sint, insignem tamen & manifestum vsum habent. Reliquæ propria carent voce, generalique appellatione membranæ dicuntur; aut *membrana*, ea potissimum, quæ ambiunt ossa.

*Membrana
substantia
& vsum.*

Putarunt verò permulti membranarum omnem substantiam ex neruis deduci: alij ex partium, quas inuoluunt substantia crassiore & pinguiore foras emergente sensimque circa illas siccata. Ego ex tota factus materia simul cum reliquis partibus, sed præsertim ex semine, formari arbitror. Neque enim in iis membranis, quæ aut totæ sunt à partibus separate ac distinxæ, vt peritonæum; & ea, quæ dissepiens dicuntur; aut duplicatæ sunt, vt cerebri meninges, & omentum, intelligi potest quomodo ex contentis partibus emergant & circa eas siccentur; aut ex neruis deducantur. Est omnes illa, quæ intestina singula & particulas ventris contentas ambiunt, ex peritonæo creduntur habere ortum; quomodo quæso ex contentis partibus aut neruis nascuntur? Video autem Hippocratem in libro de genitura, deque natura pueri, & Galenum de foetuum formatione; & de semine, & de vsu partium 14. cap. 11. & sapientissimos quoque medicos, dum naturæ in foetu formando progressionem exponunt, aut de semine differunt; membranas illas, intra quarum sinum formari debet foetus, ex semine primum existere tradidisse (nulli enim nerui, nulla pars formata) eundemque reliquarum ortum esse; tameñ tenuissimæ inserantur ad sensum & firmitatem tribuendam neruorum fibræ.

De carne.